

haud essent mature; septimo verò toto anno neque metere, neque sementem facere fas esset. Solebant autem veteres Hebræi nulla habere mensium suorum nomina, sed eos ex ordine, primum, secundum, tertium, atque ita dicere, dicere. Sed quibus nunc ferè utuntur Judæi nominibus, ea à Persis, Medis, Babylonis in exilio accepere. Quæ causa est, ut in sacris litteris nusquam, nisi in eorum historiis qui post memorabile illud exilium celebres vivere, nova ista nomina appareant, ut apud Zachariam, Daniëlem, Esdraum, Esther. Galgala locus erat ab Jordane versùs occidentem remotus stadiis quinquaginta, ut ait Josephus, decem verò citra Jerichuntem positus. Erant ergo Galgala, ut est in sacris verbis, *in finibus orientibus Jerichuntis*. Mansere autem illic castra multis annis, ut sæpè dicitur. Erat enim locus perappositus, et aquis, ob vicinos undequaque montes, atque etiam Jordanem, et fructibus abundans. Nomen autem Galgal, unde loco manserit, audiemus proximo capite. Nunc enim per anticipationem sic appellatur, ut *Latina littora*, à Poëtâ, *Æneid.* 1, vers. 2.

VERS. 20. — STATUITQUE JOSUA IX GALGALIS DUODECIM LAPIDES ILLOS, etc. Tertullianus opinatus est, lapides istos in ipsâ sacrâ arcâ conservatos esse. Illis enim usus est adversùs Marcionem verbis. Et duodecim, inquit, lapides ab Jesu de Jordane lectos, et in arcam testamenti conditos deprehendo; totidem enim Apostoli portendebantur. At R. Levi F. Gersonis existimat apud arcam quidem, perpetuò esse asservatos, ut cum ter, ut minimum, Israelite quotannis ad eam convenirent, hoc enim lex jubebat, memoriam rei gestæ monumenti presentia omnibus renovaret; cæteroqui in ipsâ arcâ apud manna, et Aaronis virgam minime fuisse locatos contendit. Neque enim id dicere sacram narrationem, neque etiam consentaneum fuisse, ut ista monumenta consimili cum illis mosaicis honore dignarentur, omnium divinissimis. Ad hoc, in manâ atque illâ virgâ perpetuum fuisse miraculum, cum illud nullâ solis vi aut temporis diuturnitate dissiparetur, aut computresceret, hæc semper amigdalis fecunda esset; at lapidibus nihil miratione dignum ipsi quidem accidisse, sed admirabilis rei monumenta eos fuisse modò. Denique majora verba ista duodecim saxa, quam pro sacræ capsæ spatio. Sic ferè Levi Gersonis. Ego verò, quia statuisset eos imperator memoratur in Galgalis, non apud sacrarium Dei, puto esse verissimillimum, in Galgalis positos mansisse, ut

loco et celeberrimo, et flumini vicino, ad quod illa maximæ admirabilitatis res, cujus ipsi memoriam conservare debebant, patrata à Deo fuerat. Et verò divus Hieronymus in Paulæ Epitaphio dicere videtur, eos etiam tum in Galgalis visi solere. Et quod nunquam satis magno delect esse argumento, perspicue apparet ex sacris verbis, illos non temerè esse in Galgalis depositos modò ex numeris bajulorum, sed ab ipso deinde imperatore statutos, numerum spectabili quodam situ, quali status statueret est. moris, atque ut primo quemque aspectu admonerent, insignis alicujus se rei notas esse. Quin religiosam quoque veluti dedicationem consecrationemque esse adhibitam, probabilis conjectura ex concione dicitur, quam imperator, cum illos statueret, habebat ad populum. Sequitur enim in sacro textu

VERS. 21, 22, 23. — ET AIT AD FILIOS ISRAEL, DICENS: QUANDO INTERROGABENT, etc. Eisi non dissimilis sit ista concinacula, à superiore illâ, quam versiculo sexto et septimo commemorari audivimus, diversa tamen est. Nam illa, dum tollerentur lapides, et potissimum ad ipsos duodecim bajulos habebatur; hæc verò cum ab imperatore illi statuuntur, et ad populum universum. Sed quando utriusque adhortationi eadem una est sententia, nihil opus est explicare denudò. Vetat quidem sacræ lex, statuas ponere, sed ita ut divinam apud populum habeant venerationem, eamque ille ad ipsas adhibeat reverentiam, quæ uni Deo debetur, et adoratio à theologie vocatur. Sed de sacrarum rerum monumentis satis multa diximus supra. Cæterùm ex his verbis, quæ ad populum facti imperator, apparet, saxa ista præcipuè quidem exsiccati Jordanis, propter similitudinem tamen atque convenientiam, siccati etiam maris Rubri fuisse monumenta, cum lujus ostenti, quod tamen omnibus scealis esse celeberrimum oportebat, nullum exstaret usquam aliud signum, nisi illud signum, quod Moses divino suo carmine posuerat, quo sanè nullum neque illustrius, neque diuturnius ejusmodi hominis industria potuisset efficere. Cur autem nullum apud mare illud saxum poneretur monumentum, diximus, nisi me fallit memoria, ante. Nempe illa loca erant mansura sola, cum Ægypti etiam nomen deberet Israelitis triste ac detestabile videri, ne dum ut illic sæpè redirent.

Porro quod de mari Rubro ad presentes loquitur illis verbis, *quod nostrâ causâ, sive, à facie nostrâ, exsiccaverat, donec transissemus*, quorum, ut credibile est, pars longè maxima

non transmiserat exsiccatum mare Rubrum cum post natum essent in deserto, illi verò qui transmiserat plerique concidissent, nefario rebellionis crimine obstricti; quod, inquam, sic loquitur, idè facit, quia intelligebat divinus homo, Dei beneficia non ad eos solos pertinere, qui illorum temporum æquales iis presentes afflictiuntur, verum ad omnem æquè posteritatem. Hoc enim ita esse, quis non videat, cum jubet populum his uti olim verbis apud suos nepotes: *Exsiccavit Dominus Deus vester aquas Jordanis, propter vos, donec trajecissetis?* Neque enim nondum nati, nisi in parentum lumbis, ut alibi in sacris litteris est, trajicere poterunt. Ea igitur ratio est, cur nullo discrimine, nunc primæ personæ, nunc secundæ utatur pronomine. Parùm enim plene, mihi certè, sensa sacræ Scripturæ videntur exponere, qui censent, de Jordanis trajectu dictum esse *vestrâ causâ*, sive propter vos; de Rubri maris verò, *nostrâ causâ*, quia Jordanem siccatum transmiserant omnes, ad quos ista verba feliat; mare verò Rubrum, patres, in quorum numero is erat, qui verba faciebat. Sed pergamus.

VERS. 24. — UT AGNOSCRENT OMNES POPULI TERRE MANEM DOMINI, etc. Duplicem ostendit divini consilii, in patrandis miraculis, atque ostentis, scopum: alterum, ut omnes mortales agnoscant propitius veri Dei inevitabile potentiam, eoque ad credendum in illum inducantur; alterum, ut credentes religionem pietatemque adhibeant ad illum majorem. In utroque autem abundantia duarum præcipuarum Dei virtutum cernitur, misericorditæ, et justitiæ, quæ in divinâ illius procuratore salutis hominum primas partes agunt. Nam quòd omnes homines ille cupit, agnitâ veritate, salvos fieri, est id quidem ejus divinæ misericorditæ. Sed cum eam veritatem, atque adeò semetipsum, quatenus quidem à mortalibus cognosci potest, hoc est, sempiternam suam potentiam, divinitatemque, omnibus semel patefecerit, per contemplationem videlicet lujus rerum universitatis, quam et condidit, et deceps certis et perpetuis naturæ legibus gubernat, eoque satis magnam sui amandi

CAPUT V.

1. Postquam ergo audierunt omnes reges Amorrhæorum qui habitabant trans Jordanem ad occidentalem plagam, et cuncti reges Chanaan qui propinqua possidebant Magni maris loca, quòd siccâ-

colendique (in quo absoluta justitia et radix immortalitatis, atque omnino beata vita est posita) ansam omnibus dederit, non potest profecto non censi summa misericorditæ abundantia, quòd insuper usitato illo, et perpetuo conditurum à se rerum cursu subinde mutato, aut flexo, socordes mortalium animos excitare, atque ad suscipiendum vel sic tandem in celum compellare ipsos dignetur. Jam verò ex contrario, cum ignorantis excusationem non habeant, quæ meritas penas effugiant, si qui ex illâ mundi creatione, gubernationeque cognitum Deum, non dignâ ipso gloriâ, gratæ pietate prosequuntur, sed quos creatori debeant honores, eos rebus ab illo creatis reddunt, quomodò non longè justissimæ ejus ire supplicium dare eos existimabimus, qui ne per hujusmodi quidem inusitata et insignia miracula, atque ostenta expergefacti, insipientis sui animi cæcæ caliginem discerpunt, Dei que cognitione illâ rectè uti, in animum inducunt? Neque verò non eadem ratio est eorum, qui allatu atque illustratione Spiritus sancti, bonum Dei verbum sunt jam fide semel amplectati. Nam etsi ejus verbum vivum sit, atque efflax, et omnino ejusmodi, ut per occultam, que in eo est, celestis Spiritus efficientiam, ipsum abundè satis esse illis deberet, ad affirmandam stabiliendamque fidem in Deum (hoc enim illud est quòd canit sacer vates psal. 119: *Profebor te sincerâ mente, cum didicero leges justitiæ tuæ*), tamen inusitatis sæpè prodigiis, atque miraculis insuper sua illa effata comprobare, et credentium fidem fulcire atque adaugere non desinit. Nimirum ut pro immensâ suâ clementiâ illos sibi arctius atque arctius conjungat, obligetque. Sin autem istâ etiam tam paternâ benignitate spretâ, aut certè neglectâ, fidem fallant, justiore iudicio damentur. Porro quòd reddidi, *timeatis*, est in Hebræo periteritum modi finiti, *timuistis*. Sed talis enallage et temporum, et modorum frequentis est in sacris litteris. Timoris autem vocabulo, cultum omnem atque religionem adversus Deum significari in veteri Testamento alibi à nobis explicatum est.

CHAPITRE V.

1. Tous les rois des Amorrhéens qui habitoient au-delà du Jourdain, du côté de l'occident, et tous les rois de Chanaan qui possédoient le pays le plus proche de la mer Méditerranée, appelée la grande mer, ayant appris que le Seigneur avoit séché les eaux du Jour-

set Dominus fluenta Jordanis coram filiis Israel donec transirent, dissolutum est cor eorum, et non remansit in eis spiritus, timentum introitum filiorum Israel.

2. Eo tempore ait Dominus ad Josue : Fac tibi cultros lapideos (1), et circumcidit secundò filios Israel.

3. Fecit quod jusserat Dominus, et circumcidit filios Israel in colle Præputiorum.

4. Hæc autem causa est secundæ circumcissionis : omnis populus qui egressus est de Ægypto generis masculini, universi bellatores viri, mortui sunt in deserto per longissimas vias circuitus ;

5. Qui omnes circumcisi erant : populus autem qui natus est in deserto

6. Per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis circumciscus fuit, donec consummerentur qui non audierant vocem Domini, et quibus ante juraverat ut non ostenderet eis terram lacte et melle manantem.

7. Horum filii in locum successerunt patrum, et circumcisi sunt à Josue, quia, sicut nati fuerant, in præputio erant, nec eos in viâ aliquis circumciderat.

8. Postquam autem omnes circumcisi sunt, manserunt in eodem castrorum loco donec sanarentur.

9. Dixitque Dominus ad Josue : Hodie abstuli opprobrium Ægypti à vobis. Vocatumque est et nomen loci illius Galgala, usque in præsentem diem.

10. Manseruntque filii Israel in Galgalis, et fecerunt phase, quartâ decimâ die mensis, ad vesperum, in campestribus Jericho.

(1) Videtur cultros lapideos ad circumcissionem aptissimos esse, eò quòd inflammationem non movent (Exod. 4, 25). Illis Æthiopica tribus Alanjab utitur in circumcidendo. Vid. Ludolf. *Hist. Æthiop.*, lib. 5, cap. 1, § 21. — Ovid. *Fast.* l. 4, v. 237 : « Saxo corpus (scilicet pendenda) lanavit acuto. » Juvenal. *Satyr.* 11, v. 416 et 4, v. 515. (Drach, loc. cit.)

dain devant les enfans d'Israël jusqu'à ce qu'il fussent passés, leur cœur fut tout abattu, et il ne demeura plus en eux aucune force, tant ils craignaient que les enfans d'Israël n'entrasent dans leur pays.

2. En ce temps-là donc le Seigneur voulut que les Israélites profitassent du repos que leur procurait la consternation où étaient leurs ennemis, pour recevoir dans leur chair le sceau de l'alliance qu'il avait faite avec eux. Ainsi il dit à Josué : Faites-vous des couteaux de pierre, et circumcisez ceux d'entre ce peuple qui n'ont point été circumcisi, renouvelant une seconde fois par cette circumcission générale de tous les enfans d'Israël, ce que fit Abraham lorsqu'il circumcisa en un même jour toute sa famille.

3. Josué fit ce que le Seigneur lui avait commandé, et il circumcisa les enfans d'Israël sur une colline appelée depuis la colline de la Circuncision.

4. Et voici la cause de cette seconde circumcission. Tous les mâles d'entre le peuple qui étaient sortis d'Égypte en âge de porter les armes, et qui moururent dans le désert pendant les longs circuits du chemin qu'ils y firent,

5. Avaient tous été circumcisi ; mais le peuple qui naquit dans le désert

6. Pendant les quarante années de marche dans cette vaste solitude, n'avait point été circumcisi, les mouvemens continels où ils étaient n'ayant pas permis qu'on leur donnât la circumcission. D'ailleurs, Dieu avait ordonné que cela fut ainsi, et qu'ils ne portassent point dans leur chair le caractère de peuple du Seigneur et le sceau de son alliance, jusqu'à ce que ceux qui n'avaient point écouté la voix du Seigneur, et auxquels il avait juré auparavant qu'il ne leur ferait point voir la terre où coulaient le lait et le miel, fussent morts.

7. Mais après cela, les enfans de ceux-ci prirent la place de leurs pères, pour recevoir l'effet des promesses du Seigneur. Ils entrèrent de nouveau dans son alliance, et furent circumcisi par Josué, parce qu'ils étaient demeurés incircuncis comme ils étaient nés, et que pendant le chemin personne ne les avait circumcisi de peur de les faire mourir.

8. Après donc qu'ils eurent tous été circumcisi, ils restèrent au même lieu sans décamper, jusqu'à ce qu'ils fussent guéris.

9. Alors le Seigneur dit à Josué : J'ai enlevé aujourd'hui de dessus vous l'opprobre de l'Égypte, en vous séparant par la circumcission de ce peuple incircuncis. C'est pourquoi ce lieu fut

11. Et comederunt de frugibus terræ die altero, azymis paues, et potentiam ejusdem anni.

12. Defecitque manna postquam comederunt de frugibus terræ, nec usi sunt ultra cibo illo filii Israel, sed comederunt de frugibus præsentis anni terræ Chanaan.

13. Cum autem esset Josue in agro urbis Jericho, levavit oculos, et vidit virum stantem contra se, evaginatam tenentem gladium ; perrexitque ad eum, et ait : Noster es an adversariorum ?

14. Qui respondit : Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini, et nunc venio.

15. Cecidit Josue pronus in terram. Et adorans ait : Quid Dominus meus loquitur ad servum suum ?

16. Solve, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis ; locus enim in quo stas sanctus est. Fecitque Josue ut sibi fuerat imperatum.

TRANSLATIO EX HEBRÆO.

1. Porrò factum est, cum audirent omnes reges Amorrhæorum, qui erant trans Jordanem versus mare, et omnes reges Chanaanorum, qui ad mare erant, Dominum exsiccasse aquas Jordanis, in gratiam filiorum Israelis, donec transivissemus, ut liquifieret cor ipsorum, neque esset ipsis spiritus reliquus, propter filios Israelis. — 2. Eo tempore aiebat Dominus ad Josuam : Facito tibi gladiolos saxeos : et iterando circumcide filios Israel, secundò. — 3. Fecit ergo Josua sibi gladios saxeos, et circumcidit filios Israel, ad collem Præputiorum. — 4. Est autem hæc res, ob quam circumcidit Josua. Omnis populus egressus Ægyptum, masculi omnes, viri bello apti mortui erant in deserto, in viâ, inter proficiscendum ab Ægypto. — 5. Nam fuerant quidem circumcisi omnes, quotquot erant egressi ; verum nullum eorum, qui nati fuerant in deserto, in itinere, inter proficiscendum ab Ægypto, circumciderant. — 6. Quadraginta enim annis ambulaverant filii Israel per solitudinem, donec consummerentur omnis gens virorum militarium, qui excesserant ex Ægypto, eò quòd non obtinuerant vocem Domini quibus juraverat Dominus, se non ostensurum ipsis eam terram, quam jurejurando promiserat Dominus patribus illorum, se nobis daturum, terram affluentem lacte et melle. — 7. Verum liberos ipsorum substituerat in ipsorum locum, hos circumcidit Josua, cum essent præputiati, eò quòd non circumcidissent ipsos in viâ. — 8. Porrò cum jam circumcisa omnino esset gens universa, manserunt loco suo in castris, donec convalescerent. — 9. Dixitque Dominus ad Josuam : Hodie devolvi opprobrium Ægypti à vobis ; et vocatum est nomen loci illius, Galgala, usque ad hanc diem. — 10. Igitur dum castra haberent filii Israel in Galgalis, faciebant Pascha, die decimâ quartâ mensis, in vesperis, in campis Jerichuntis. — 11. Edebantque de frumento terræ prostridie Pasche, azyma et tostum, eò ipso die. — 12. Cessavitque manna postridiè, dum ederent de frumento terræ, neque haberunt deinde filii Israel manna, et

appelé Galgala, c'est-à-dire, Enlèvement, comme on l'appelle encore aujourd'hui.

10. Les enfans d'Israël demeurèrent à Galgala ; et ayant été purifiés par la circumcission, ils y firent la pâque le quatorzième jour du mois, sur le soir, dans la plaine de Jéricho. Ce fut la seconde fois qu'ils célébrèrent cette fête depuis leur sortie d'Égypte.

11. Le lendemain ils mangèrent des fruits de la terre, des pains sans levain, et de la farine d'orge de la même année, qui était séchée au feu.

12. Et après qu'ils eurent mangé des fruits de la terre, la manne cessa, et les enfans d'Israël n'usèrent plus de cette nourriture, mais ils mangèrent des fruits que la terre de Chanaan avait portés l'année in me.

13. Lorsque Josue était sur le territoire de la ville de Jéricho, il leva les yeux, et, ayant vu devant lui un homme debout et tenant à la main une épée nue, il alla à lui, et lui dit : Êtes-vous des nôtres ou des ennemis ?

14. Il lui répondit : Non, je ne suis point de vos ennemis, mais je sois le prince de l'armée du Seigneur, et je viens ici maintenant à votre secours.

15. Josué se jeta le visage contre terre, et dit en l'adorant : Que dit mon Seigneur à son serviteur, et que lui plaît-il de m'ordonner ?

16. Otez, lui dit-il, vos souliers de vos pieds, parce que le lieu où vous êtes est saint ; et Josué fit ce qu'il lui avait commandé.

ederant de proventu terræ Chananae in illo anno. — 13. Accidit porrò dùm esset Josua in Jericho, ut sustolleret oculos suos, et videret, et ecce vir stabat ei ex adverso, cui gladius erat strictus in manu; accessit autem Josua ad illum, dixitque ipsi: Num noster tu? an hostium nostrorum? — 14. Et ait: Non. Sed ego princeps exercitûs Domini; modò veni. Ceciditque Josua in faciem suam humi, et incurvavit se, ac dixit illi: Quid Dominus meus loquitur ad servum suum? — 15. Et ait princeps exercitûs Domini ad Josuam: Detrahe calceamentum tuum de pede tuo. Quia locus in que insistis, res sancta est, fecitque Josua sic.

COMMENTARIUM.

VERS. 1. — **PORRÒ FACILIS EST, UT CUM AUDIRENT OMNES REGES AMORRHEORUM, etc.** Capite secundo, ad versiculum decimum audivimus, Rahabam meretricem cum diceret, omnium animos fuisse præ metu liquefactos, simul atque allata esset fama exsiccati maris Rubri, et profligatorum deinde duorum regum Gaba-ditidis annuatiata clades; et tamen neminem vidimus arma ad Jordanem trajicientibus hostibus opponentem. Nimirum, quamvis non solum tantarum rerum auditiõne perterriti, verum multò etiam acrius, divino quodam terrore occultè percussì ipsorum animi mirabiliter intus vexarentur, tamen insatiabiles voluptates in iis tam potenter regnabant, ut sanis consiliis nullus esset locus, tantaque liquecebant fluctante mollitiã, ut non facillè ullius periculi cogitatione ad virilia possent revocari, aut potius mentis suæ vitis omnibus occaecata, stupore, pericula quamvis vicina non sentirent. Cum porrò ne nunc quidem se movent, postquam hostis Jordanem transmisit, neque vicinus modò est, sed ipsis inhæret cervicibus, quis non intelligat admirabilem Dei erga suos benignitatem, atque beneficentiam, cujus numine non modò viros adversariorum superantur, sed omnes planè motus conatusque tantisper prohibentur, dùm illi in regione, alioqui prorsus incognitã, paululum consueti, et capte etiam, nullo defendente, urbis unius victoriã confirmati, audent hostis conspectum ferre, pugnaque cum eo decertare? Ceterùm Chananae gentes omnes duobus hic nominibus subjectæ sunt, quæ capite tercio septem appellationibus distinguebantur. Nam cum illa inter Jordanem, et mare Mediterraneum, à septentrione ad meridiem versùs, obliquo tractu in longum porrecta angustè jaceret, Amorraei nunc vocantur, quicumque propius absint ad Jordane; Chananaei verò, qui mari sunt viciniore. Etenim illo, *trans Jordanem, versùs mare*, sive, versùs occidentem, ut Latini et Chaldaei exponunt, excipiuntur modò ii Amorraei, qui cis Jordanem, in Gaba-ditide habitaverant, atque nuper, cum suis regibus Schone et Og fuerant debellati. Usitatum enim

est, Chananaicum Jordanis latus istis verbis significare, ut Galaaditicum dicere, trans Jordanem ad orientem.

Sed enim Chananeos esse vocatos peculiariter eos, qui oram illam maritimam habuerunt, quæ etiam est Phœnicia dicta, conficitur ex speculatorum Mosis relatione, cum dicitur Num. 13, v. 30: *Chananeus habitat juxta mare*, quod propter Septuaginta interpretes hoc loco, pro *regibus Chananeorum*, reddiderunt, *reges Phœnicie*. Eademque ratione mulier, que apud Matthæum Chananaea, apud Marcum est Syrophœnica vocata. Nam, ut profani scriptores Phœnicum vafritem, atque industriam in mercaturã navigatione faciendã celebrant, ita sacræ litteræ Chananeorum. Homerus enia scriptum reliquit Odys. 13:

Ἐθάδὲ Φοίνικας νηυσόδοτοι ἦδ' ὄνδρες ἑθάρης.
Τρόικας, μὲν γὰρ ἄγροντες ἀβήματα καὶ κελύματα.

Et alibi:

Ἄθ' ἴτε Φοίνες ἦδ' ἐν ἀντὶ ἀπατάλα εἶδες
Τρόικας, ἐς δὲ πάλιν καὶ ἀβήροισιν ἑσάρη.

Oseas verò de Chananeis sic ait, cap. 12, v. 7: *Chananeus in manu habet trutinam fallacem, amat injuriam facere*. Et Isaias, cap. 23, v. 8, testatus est, *negotiatore Tyri esse principes, Chananeosque ejus, esse viros in terris præclaros*, hoc est, Tyri mercatores. Denique Salomon Proverb. ult. v. 24, mulierem frogi laudans: *Linteum, inquit, fecit, ac vendidit, et cingulum tradidit Chananeo*, hoc est, mercatori aut negotiatori. Quin, ut planè intelligas utriusque vocis inter se notations convenientiam, sicut apud Hebræos præcisò sunt Chananaei, maris accolæ illi qui supra Palestinos, hoc est, supra פלשתיים recedunt ad septentrionem, sic apud Græcos Φοίνες. Rursùs, ut interdum apud illos Palestini etiam, usque ad Ægyptum, subjiciuntur Chananeorum nomini, veluti in Genesi cap. 10, et in præsentè etiam, opinor, loco; sic Græci Phœniciam ad Ægyptum usque producunt aliquando; Dionysius enim Afer Gazam in Phœnicia locare non dubitavit, neque Moses in Chananaea. Estque hoc etiam à Strabone scriptum libro 16. Est igitur prorsus eadem

una gens, si propriè loquamur, Chananeorum apud Hebræos, et Phœnicum apud Græcos, faciendã naviculariã, καὶ ἱπποπόνη τήρη celebris, propter portuosum mare, quod accolunt. Sed progrediamur ad reliqua.

Reges vocantur singularum ferè civitatum domini. Præcis enim illis temporibus, cum nondum ex orbe terrarum profligata esset modestia, cujus imperio se quæque civitas ob præcellentioris prudentiæ opinionem, submisserat, is eam suo dominatu tenere contentus, in ipsã solã regnabat, sed moderator ille temperantiorque dominatus, deinde gloriæ, ne quid pejus dicam, facibus inflammatus, exardescere cum occupasset ad latius regnandi cupiditatem, mox circumquaque vicinos etiam hominum coetus corripuit, regesque non urbium modò, sed regionum coepere dici; ac tandem etiam provinciarum, cum non ad vicinos solos, sed ad externos quoque protulisset homines imperium immensa dominandi libido. Cor vocata est ea pars animi, in quã fortitudo atque constantia est posita. Spiritus verò, hoc est, animi illa vis, quã sapimus, et quã quid agendum, quid omitendum dispiciamus deliberamusque, hoc est, τὸν παντὸς καὶ ἐν παντίον διαπροστικὸν δόξαν, quam Septuaginta nominant ἐφρονεῖν. Nam corde liquecente, videlicet cum per metum labasci fortitudo, perturbari simul et sapiendi facultatem necesse est. Ceterùm iterum atque iterum gratiã Israelitarum esse facta ea quæ contigerunt, commemoratur, ut illustrior appareat benignitas Dei, et studium, atque providentia, quã suos complectitur, tutatur, amplificat; dùm ipsorum causã naturæ perpetuum cursum interruptit, ordinemque invertit, et ipsorum humilitatem, ut sic dicam, ceissimè aliorum dignitati atque amplitudini reddit formidabilem.

VERS. 2 et 3. — **EO TEMPORE AERAT DOMINUS AD JOSUAM: FAC TIBI GLADIOS, etc.** Id tempus significatur, cum primum ad Galgala esset perventum. Nam pasci alimodum dies, neque plures quatuor, supererant ad eum usque diem, quo Pascha fuit faciendum, et debebat interea circumcisiois plaga sanari. Colarent ergo ista cum iis quæ extremis versiculis superioris capituli, sunt narrata; illa verò de regularum omnium maximo pavore, per digressionem sunt interposita.

Sed priusquam sacra verba exponamus, dæz sunt pertractandæ quæstiones, quæ plebore interpres hoc loco exercere solent. Earum altera est, quæ causa esse potuerit Israe-

litis, cur totis triginta octo annis, ad eo pluribus, circumcisiois caeremoniam omitteret, sanctæ lege sic sibi imperatam diligeret; ut capitalis pena esset, intra dies octo non obtemperasse, aut capitali poena longè gravior, exempto nominis de tabulis divini fœderis, obtemperasse autem, præmium Chananae possessio. Nam, ut penam omittanus, quã sæpè non satis deterrerentur flagitiosi homines à peccando, cum jam rectã in possessionem promissæ terræ proficisci se intelligerent, debebant profectò ejus ritus observatiõnem operam imprimis dare, in quo divinã promissionis cardinem versari non ignorabant, ex pacto et fœdere Dei cum Abrahamo inito. Altera quæstio est, quid sibi velli illud, circumcisiois Israelitis secundò, quando neque ipsa rei natura, neque divinã religio permittit, ut idem homo circumcidatur iterum. Neque enim præsectum semel præputium succrescit, neque sacramentum hoc sine flagitio iterari potest. Quod ad priorem attinet, equidem existimo, eam omisse circumcisiois veram esse causam, quæ vulgò afferri solet, nempe quia ad Dei nuntium, quem nabe motã ipse annuebat, proficiscendum continuo esset, nullius certè quietis spe. Atque hanc causam opinor ipsi quoque Deo probatam se fuisse, ut in crimine illis non poneret præputium. Nec enim possis memorat usquam sacra historia. Neque verò illi negligebant circumcisioem, sed profectiois continuæ necessitate ab eã excludebantur, retinebantque interim circumcidendi propositum, cum primã opportunitate datã. Ad hoc, quòd filii non circumcidere, penæ species fuisse videtur, quã Deus non tam ipsos plebebat filios, quàm impiorum parentum urebat animos, cum viderent liberos suos sacrosancti fœderis symbolo carere. Huc enim, mihi corie, videntur spectare illa in Numeris Dei verba, cum dicit Num. 14, 33: *Vestra ipsorum corpora cadent per desertum istud. Filii verò vestri erunt pastores in deserto annis quadraginta, et ferent penam defectionis vestras, tantisper dùm vos consumpti fueritis in deserto*, q. d.: Quia abdicastis vos à meã familiã per rebellionem, filii quoque vestri adoptionis notã carebunt, quamdã vos in vivis eritis. Quin ipsum etiam Pascha, non minùs severã rigiditãge lege mandatum, atque circumcisio, ut statuto die quotannis celebraretur ab omnibus, differre tamen licuisse, itineris faciendi causã, respondit ipsum Dei oraculum, à Mose consultum.

Sed objiciat nobis Mos quispian, qui in

vite periculum incidit, eum filium circumcidisset per iter, et quidem non ejus ipsius voluntate, sed Dei jussu institutum, atque susceptum. — Atqui dudum ante oportebat circumciscum esse à Mose filium, quam iter illud invaderet. Neque enim tum natus ei recens fuerat Eleazarus, ut videtur. Et ut fuerit ille non ante dies octo editus, certè nullà Mosen Deus festinatione usque adeò urgebat, ut non posset vel triduum circumcidendo curandoque infanti dare, cum esset absurdissimum, legislatorem atque imperatorem populi futurum, ne in exiguà quidem familià suà divinæ religionis jura coluisset. Sed quid opus multis? ipsa verba spera, cum quoties ferè omissee circumcissionis, toties et itineris faciunt mentionem, satis aperte causam videntur attribuere continuæ protectioni. Neque verò dubitans dixerim, in stativis illis ad montem Sinam, in quibus, cum ob legem divinitus accipiendam, tum ob construendum sacrarium Dei et tabernaculum, fuit morandum diù, ut Pascha de more agerentur Israelitæ, ita et circumcidisse quoque suos liberos, quotquot vel illis quadraginta septem diebus, quibus ex Ægypto illuc pervenerant, vel interea dum illic hærerent, fuerant editi in lucem; illa verò verba, quæ memorant, neminem fuisse circumciscum inter proficiscendum ab Ægypto per desertum, præcisè accipienda esse de eà protectione quam auspiciati sunt die vicesimo mensis secundi, anno eo qui ipsis fuit à libertate adepti secundus, cum monte Sina relicto ad nubis momentum sunt profecti ulterius. Quanquam alioqui illud, *inter proficiscendum*, et rursus illud, *in itinere*, non patiuntur sècè ista verba cum nostrà sententià pugnare. Nam quod in stativis est actum, neque inter proficiscendum, neque in itinere, actum censi debet.

Dignum profectò Talmudicis, hoc est, ad tractandas litteras sacras absurdissimis hominibus, est commectum, quod tractatione de jure Leviri scriptum ipsi reliquerunt. Per omnes illos quadraginta annos non spirasse boream, ventum nubibus inimicum, ne illa sanctuario familiaris nubes dissiparetur, scilicet, atque eò abstinuisse Israelitas à circumcissione, cum eum ventum sibi putent observandum, ut qui plagis medeatur. Sed nugacissimas istas nugæ silentio tegerem, nisi R. David Kimhi benè multis verbis eas esset persecutus, cujus commentarii sunt in omnium manibus; putavi enim locum esse indicandum ex quo ille tam præclaram doctrinam scilicet accepisset. Posset fortassis

suspiciari quispiam, homines præfractæ cervicis, postquam per flagitiosum illud rebellium, quo, auditis speculatoribus, reditum in Ægyptum fuerant moti, indignos se promissis Dei fecissent, atque popalam ab eo iudicati damnatiquè fuissent, præ impietatis obstinatione, sanctum illud fœderis divini monumentum, cum sibi deinde prodesse non posset, etiàm posteris suis invidisse, ideòque eos non circumcidisse. Sed profectò ea immanior fuisset pravitas, quam quæ in populo Dei tam diù hæsisse existimari debeat. Et, ut ante dixi, filiorum præputium dolori illis, non voluptati fuisse videtur. Ad hoc, scelerati parentes illi ante transmissum torrentem Zared perierant omnes, et tamen neque suos liberos postmodum natos circumciderunt illi, quantum certè sacra verba præ se ferunt, quinimodè aut certè non majores annis duodeviginti Ægyptum cum reliquissent, neque rebellionis scelere obligati, neque à Deo damnati fuerant, nisi nunc demum per otium in Chananæa. Sunt quidem magnæ apud me auctoritatis scriptores, qui stantunt, circumcissione opus non fuisse, quamdiù solitudo ipsa populum hebræum ab aliis populis satis secernebat. Sed mihi sænè probari id non potest, qui persuasum habeo, ponendi præputii insigne, non solum ad segregandum populum selectum à reliquis gentibus, inter quæ versaretur, institutum à Deo fuisse, in præcisè illà Hebræorum ecclesià, ut neque sacri baptismi ritum in nostrà; verum imprimis, ut corruptæ depravatæque ab ipsâ origine hominum nature mysterium, simul et expiatio esset, monereturque, opus esse ad salutem alio divino quodam nascendi modo, quem regenerationem vocant sacrarum rerum scriptores. Deinde verò, ut gratiæ divinæ, sacræque professionis et religionis probæ signum esset, quo adoptatus gratis à Deo ad cœlestè regnum peculiaris populus, ab aliis dignosceretur nationibus. Sed sunt ista alterius loci.

Progrediamur ergo ad alteram questionem, cur secundò circumcidere Israelitas jussus sit Josua. Certa, et sacris verbis explicata res est, eosdem viros iterum circumcidi non debere, sed illos qui ante circumcisi non essent. Est enim in sacro textu: *Liberos ipsorum substituerat in eorum locum; hos circumcidit Josua, cum essent præputiati, eò quòd non circumcidissent ipsos in viâ*. Illud igitur videndum est, quòd spectet adverbium, *secundò*. Memoratum est in Genesios historia, Abrahamum, cum jussus esset masculos omnes suæ familiæ, liberos,

servos, vernas, emptitios circumcidere, è vestigio eodem illo die circumcidisse simul omnes. Erat autem tum universa peculiaris populi Dei, hoc est, Ecclesiæ, ut vocamus, summa in unâ Abrahami familiâ posita. Semel igitur tunc universè populus Dei est circumciscus ab Abrahamo, cum hoc insigne, tanquam pignus certissimum promissæ possessionis Chananææ à Deo institueretur. Nunc verò secundò circumciditur populus Dei universè à Josuâ, cum promissa illa, quorum circumcissionem fuisse pignus diximus, ad rem à Deo conferuntur, hoc est, cum idem ille, origine quidem, populus, at ob extinctam nuper universam patrum multitudinem, quodam modo novus, in possessionem Chananææ mittitur. Dicam, si potero, explicatiùs: Deus olim per circumcissionis insigne, peculiarem sibi cœtum, sive, ut appellamus, ecclesiam, constituerat; is cœtus cum fuisset continuâ parentum et sobolis successione, eorumdemque rituum et sacrarum observatione, ad Mosen usque propagatus, nunc tandem, occisis semel omnibus, quorum in solemnibus recessionibus ratio habebatur, cæteris verò qui totis triginta octo annis editi fuerant, non circumciscis, illa consociationis atque conciliationis ratio quodam modo intercidisse videtur. Imperat igitur Josua Deus, ut eam denuò instauret. Et verò præsentem populum, quasi cœtum novum, videri, atque consociationis communio-nisque illud vinculum circumcissionem, tanquam intercidisse nunc, ex illis potest perspicuè intelligi verbis, quæ superius commemorabam, præsertim si paulò altiùs repetantur, ex istis dico: *Omnis populus egressus Ægyptum, masculi omnes, viri bello apti, obierant in deserto; verum liberos ipsorum substituerat in eorum locum; hos circumcidit Josua, cum essent præputiati, etc.* Credibile quidem est, vixisse etiam tum plurimos, qui in Ægypto nati circumciscique fuerant. Neque enim flagitiose illius rebellionis crimen, quod anno, qui à libertate ægyptiaca secundus erat, apud Cadesbarne admissum, habem illam maximam, et perniciosam reipublicæ israeliticæ intulerat, ad eos pertinuit, qui annum vicesimum nondum attingerant. Et existimant ab eadem culpâ Judæi tribum quoque Leviticam universam. Sed ex eorum conditione æstimatur populus, qui ejus pars longè maxima erant. Nam simpliciter, perisse in deserto masculi omnes Ægypto egressi, qui quidem militari erant ætate, memorantur; et tamen certò certius est, si non alios plurimos, at Calebam, Josuam, Eleazarum saltè non perisse.

Sed unum est huic nostræ, quam modò explicavimus, sententiæ acriter, ut apparet, adversarium. Non enim Abraham olim filios Israel semel circumciderat, cum ne natus quidem tum fuisset Israel; haud ergo possunt à Josuâ circumcidi secundò filii Israel. — Verum est profectò expeditissima responsio, non insistere Spiritum sanctum in Israelis appellatione, sed filios Israel vocari simpliciter, cœtum atque Ecclesiam Dei, cui hoc nomen, post Jacobi ætatem, ad Christum usque, datum ferè est in sacrâ historia.

Præterea, si hic arguitis in arguendo locus est, hoc quoque arguè responderi possit, filios Israel per Abrahamum fuisse olim circumciscos, similiter atque Levitas decimatos fuisse, ut sic dicam, à Melchisedech, scripsit Apostolus ad Hebr. 7. Sed enim divus Augustinus, nihil reipsâ, opinor, à me dissentiens, iterationem istam excusat schemate, quod synecdochen vocant. Populus enim, inquit, ante circumciscus erat, quia nonnulla ejus pars carebat præputio, ut Caleb, ut Josua, ut Eleazarus, et fortassis Levite omnes, et qui apud Cadesbarne nondum fuerant viginti annorum. Circumciditur autem populus jam iterum, quia ejus maxima pars circumciditur. R. Levi F. Gersoni autem, cum perisque Judæis, hunc locum sic exponit, ut existimet, Mosen, cum in Ægyptum revertens, futuris gentiliū suorum dux, periculo suo didicisset, quam ægrè ferret Deus adoptionis illud insigne negligi, illi cœ multitudinem universam circumcidisse, quæ durissimæ atque laboriosissimæ servitutis causâ jandù id facere non curarat. Neque enim Pascha celebrare, non deposito præputio, potuisset, neque in possessionem Chananææ proficisci, quæ circumciscis fuerat promissa. Cum porrò, quos ille sic in Ægypto circumciderat, longo errore per iter essent perique omnes extincti, et qui interea editi fuere, non circumciscis, jam opus esse iterum circumcidere multitudinem universè. Hæc ferè ille, et multi quoque cum eo Judæi.

Fuisse autem in Ægypto neglectam circumcissionem, et à Mose illuc reverso instauratam opinatus est etiam Tertullianus noster. Utitur enim adversus Judæos his ferè verbis: Providens, inquit, Deus, quòd hanc circumcissionem in signum, non in salutem esset daturus populo Israel, ideò filium Mosis duces futuri instigat circumcidi, ut cum cœpisset per eum populo dare præcepta circumcissionis, non asperraretur populus, videns exemplum istud in iudicis

filium jam celebratum. Sed R. David Kimhi longè aliud est commentus effugium, verùm acutius argutiusque, meo iudicio, quàm sacrorum verborum simplicitati, et usitatæ significationi congruentis. Ait enim verba illa שָׁבָו וְשָׁבָו et שָׁבָו que iterationes significant, non ad ipsam circumcisionem, sed ejus procuracionem spectare, idque mandari Josue, ut iterùm atque iterùm, ultrò citròque per castra commeans, omnesque et singulos adiens curet, ne quis omnium maneat præputiatus. Positionem enim שָׁבָו à quâ illa formantur, non bis modò, sed sæpè iterare aliquid, significare; itaque שָׁבָו non, secundò, sed, crebrò, esse convertendum. Sed hoc profectò est extorquere Scripturam, atque ad suam interpretari sententiam.

Denique Talmudici, eo quem nuper indicavi loco, et prolixius quoque in capitulis Eleazaris, non insulè modò, sed etiam impiè, si ipsorum nuda verba intueare, lingunt, non absolutum circumcidiendù præputii ritum fuisse Abrahamo traditum à Deo, et proinde illud, secundò, ad cæremoniæ perfectionem, quæ jam tandem Josuam doceatur, pertinere. Hunc enim eos etiam qui Abrahami ritu ante fuerant semel circumcisi, debuisse curtare secundò, perfectiore modo. Verùm ista fortassis à veteribus Hebræis teetè dicta sunt, quallia in Talmude multa passim reperias, non de adumbratò Josuâ filio Nun, sed de expresso Jesu Christo, à quo vetus illa circumcisio perfecta est, cum homines per eum circumciderentur circumcissione non factâ manu, et quæ præputium carnis solum deponeret, sed quæ peccatorum exeret corpus; quippe spiritu peracta, non litteris descripta, quâ quidem circumcissione eos etiam debuisse circumcidi, qui Abrahami ritu semel fuissent initiati, quid atinet ostendere rationibus, quando satis est Christi exemplum? Afferunt Talmudici illic alias etiam secundæ circumcissionis causas et rationes, sed quas, ut verocundis auribus paream, consulè prætereo. Facere tamen non possum, quin earum unam proferam, quia puto rem in hominum eruditorum vulgus non esse pervulgatam.

Aiunt enim, illis temporibus fuisse multos, qui, etsi à suis parentibus fuissent in tenellâ etate ritè circumcisi, tamen iterùm circumcidi debent, si modò sacrorum communione consociari cæteris Judæis vellent, nimirùm, qui immanitate ægyptiacæ servitutis pressi, arte quiddam medicâ, subductâ atque distentâ pelliculâ, novum sibi præputium comparaverant,

glandemque eo iterùm contexerant. Appellant autem eos tales Talmudici, כְּשֵׁיטִים quasi *osmaruosis* dicas, ab attractâ pelliculâ scilicet; similiter, inquit, atque cum Romani rerum in Judæâ potiti, templum funditis iterùm evertissent, plurimi Hebræi hostium injuriis exagitati et vexati, eadem illâ ratione religionis suæ professionem dissimularunt, quæ Barchuzibâ jussu postea denuò sunt circumcisi, cum ille occupatâ urbe Bitter, annis duobus et dimidio apud eam gentem dominaretur; et maximâ libertatis spe omnium animos excitasset. Erat autem id nomen impudentissimæ audaciæ nebuloni, qui Messie sibi nomen assumebat atque arrogabat, cum suo oppositissimo nomini Barchuziba, *mendacii filius* diceretur. Sed dedit miser temeritatis suæ pœnas Ælio Adriano, qui expugnatâ Bitter, quadragies centena Hebræorum millia cecidisse memoratur, apud Talmudicos, ubi de libellis repudiî disserunt.

Et ne quis fidem Talmudicorum dictis nullam putet adjungendam, planè illis consentanea sunt, quæ Epiphanius Constantiæ Cypri episcopus, doctor singularis, scripta reliquit, cum de sacrarum litterarum interpretibus græcis dissereret. Affirmat enim illic, quisquis Judæorum ad Samaritanos, aut horum ad illos defeceret, eum novo præputio comparatò, novâ circumcissione initiari solere; idque Symmacho quoque, cujus inter græcos sacræ historiae interpretes celebre nomen est, inter alios, accidisse, imperatore Severo, cum ob affectatum regnum ille apud suos Samaritanos odio maximo laborans, se ad Judæos contulisset, atque his nomen dare constituisset.

Et quis non existimet Paulum quoque illam creandi præputii rationem spectasse? cum diceret primâ ad Corinthios suos cap. 7, v. 18: *Περὶ περιτομῆς τίς ἐλάλησεν, ἢ ἰσπανίζω: ἢ ἀποθωπίζω τίς ἐλάλησεν, ἢ περιτομήσω. hoc est: Vocatus est aliquis à Deo, cum esset circumcisus, ne parerit sibi attractione præputium. Vocatus est aliquis præputiatus, ne circumcidatur.* Sed jam nimis multa de secundâ circumcissione fortassis.

Addenda tamen est paucis, scitâ sanè, et sacris sensis perappositâ anagoge, qui hanc narrationem ad nostram religionem accommodat Justinus Martyr apud suum Tryphonem. « Memoratur, inquit, Josua populum circumcidisse alterâ circumcissione, et quidem lapideis gladiolis; nimirùm, ea res prænumtiâ erat hujus circumcissionis, quâ ipse Jesus

Christus circumcidit nobis saxæas status, et aliaque idola. Sunt enim ea præputia, hoc est, mundi hujus deliramenta, amputata lapideis gladiolis Jesu Domini nostri verbis, et passim cocœvratâ in cumulos. » Et paulò post: « O beatos, ait, nos, qui lapideis gladiolis sumus secundâ vice circumcisi! Ad vos enim (Judæos alloquitur) pertinebat prior circumcisio, quæ ferro fiebat, atque etiamnum sit. Duri enim pertinacesque manetis. » At ea circumcisio, quæ secundum vestram illam est instituta, nostra est; hæc acutissimis lapidibus, verbis videlicet lapidis angularis, et sine manibus cesi, Apostolorum operâ per orbem terrarum divulgatis, abstulit à nobis omnem cultum idolorum, et planè omnem improbitatem. Sunt enim à nostris mentibus sic amputata vitia, ut præ gaudio gestiamus si vel mors oppetenda sit pulchri illius atque amabilis lapidis gratiâ, ex quo lapidè vitales aquæ effusæ profluunt in pectorum, qui per illum ducuntur in amorem parentis rerum omnium, potumque præbent affluentem omnibus qui bibendæ aquæ vivæ desiderio tenentur. » Hæc divinus ille philosophus. Sed revertamur ad sacra verba.

Illud דְּבַר יְדִיָּהוּ quod nos convertimus *gladiolos saxæos*, interpretatur Chaldaeus, *acutos gladiolos*, aut *novaculas*. Eumque sequitur vulgus Judæorum, ut solet. At veteres, *novaculas saxæas*, dicendum esse putaverunt, in eo commentario qui *Genesis magna* est appellatus, atque ille Chaldaeus qui Mosis libros convertit, quem Onkelum vocant, illud דְּבַר יְדִיָּהוּ, quo Mosis uxor filio præcedebat præputium, *silicem* convertit, non *aclem*. Quin ego affirmare ausim דְּבַר, nusquam in sacris litteris *aciem* significare, sed *silicem*, aut saxum ubique. Nam, ut dem in illo Davidis versu, תָּיִן תִּשְׁבֵּי צִדְדֵי דָוִד, aciem esse דְּבַר, tamen dicam id translatis significatione, à silicis duritiè, non ex vi ejus verbi propriâ intelligi. Neque verò aut Græci aut Syri, *aciem* ibi sunt interpretati cum Judæis, sed *auxilium*. Saxum enim et rupem; sive silicem sæpè dicunt sacræ litteræ propugnaculum et auxilium. Sed et Moses Maimonius quoque, singularissimus apud Judæos doctor, duris silicibus usum esse Josuam, non acutis gladiolis, opinatur. Et verò non præcidi etiam modò præputia, sed amputari etiam posse testes ipsos acuto silice, proditum à scriptoribus profanis est. Catullus enim, in elaboratò illo carmine de Berecynthiâ et Atti, scripsit de Cybeles sacerdote: *Devolvit ipse acuto sibi*

pondera silice. Et Juvenalis satirâ sextâ, de similibus vesaniæ sacrificio dixit:

Mollia qui ruptâ secuti genitalia testâ.
Ego verò hanc sententiam, et verbi דְּבַר notio-nem eò pertinaciùs tutandam mihi putavi adversus Judæos, propter scitam illam atque apertissimam anagogen, quâ petra Christus dicitur 1 Cor. 10. Pro verbo, שָׁבָו, videntur præputi-ginta Interpretes legisse, שָׁבָו, cum pro, *iterando*, reddiderint, *sedè*, quoniam שָׁבָו et שָׁבָו, etiam aliâ non nusquam confunduntur, ut solent simillimæ inter se positiones.

Collis præputiorum dictus est locus ille hic per anticipationem. Ex re ipsâ enim hoc tandem nomen accepit. In commentario antiquo, qui inscribitur *Leviticus Rabba*, scriptum est, ex veterum Hebræorum sententiâ, tantum fuisse oblectorum in locum unum copiam præputiorum, ut collem representarent loco ceteroqui plano, et sequabili. At Chaldaeus existimat, colliculum qui ante fuit, ex re istâ nomen hoc accepisse. Nam convertit ille hebraica verba explicatiùs: *Et circumcidit filios Israel* in colle quem nominaverunt *Collem præputiorum*. Sic enim habent boni libri.

VERS. 4. — OMNIS POPULUS EGRESSUS ÆGYPTO, MASCULI OMNES, etc. De his igitur, qui ante rebellionem illam, quæ in tertiis castris, post relictam solitudinem Sinai, accidit, annum vicessimum ætatis attigerant. Hæc enim ætas bello primùm apta censebatur. Neque alii rebellionis à Deo sunt damnati. His enim utitur ille verbus in libro Numerorum cap. 14, v. 29: *In solitudine istâ cadent corpora vestra. Et quotquot vestrum numerati estis, per universam multitudinem, ætatis annorum viginti, et supra, qui murmurastis adversus me, etc.* Etsi autem universè dicantur omnes illi perisse, debet tamen, ut supra probavi, id de his solis accipi, qui illo rebellii et defectionis scelere se astrinxerant, auditis exploratoribus.

VERS. 5. — NAM FUERANT QUIDEM CIRCUMCISI OMNES QUOTQUOT ERANT EGRESSI, etc. Eo ferè ingenio sumus mortales, perverso sanè, ut in malis, religionis divinæ rationem pietatè colamus majore, quàm cum res secundæ sunt. Neque dubium est, quin nonnulli, quantò duriorè servitute opprimebantur in diès à Ægyptis, tantò ardentioribus votis exorandum sibi esse divinam misericordiam staterent, tantòque colendum religiosius illud fœdus, quo Chanaanæ promissio sancta fuit, ut ante dixi, id est, ipsam circumcissionem; hoc enim satis luculenter, opinor, testantur illa verba Exodii

2, v. 21: *Exaudivit Deus gemitus eorum, qui in Aegypto intolerabili servitute oppressi gemitant; et recordatus est federis sui, quod pepigerat cum Abrahamo, Isaac et Jacob.* Verum fuisse omnes sacra illius legis tam observantes, ut suos liberos circumciderent, antequam redisset Moses ex Madian cum imperio, nuntiassetque adesse jam libertatis tempus, speque certiore hereditatis promissae omnium animos excitasset; id verò minime est credibile, neque gravissimis aliis sceleribus consentaneum, quæ Aegyptiorum consuetudine infecti admiserant multi. Nam, ut sunt qui celestibus plagis emendantur, ita rursus invenias qui callum obducant, et, tanquam asini verberibus assueti, contumaciores reddantur, tandemque aut detestabili diffidentia, omnem felicioris vitæ spem abiciant, aut certè à probâ religione cultuque Dei se ad alias superstitiones faciliè traduci patiantur. Quare probabilis videtur ea sententia, quam supra exposuimus, Moysi tandem admonitionibus et his, quæ per eum fiebant, prodigijs inductam esse populi partem maximam, ut in tam propinqua libertatis expectatione, se suosque liberos compararent per federis Dei illud insigne, ad possessionem felicissimæ terræ sibi olim promissæ. Porro an per desertum, istâ tantâ pietate subito cum majore impietate commutatâ, circumcisionem neglexerint contempnim, an verò fas ipsis fuerit, ob iter, differre federis symbolum, similiter atque anniversariam Paschatis ceremoniam, disputatum satis est à nobis supra. Ubi hoc etiam constituendum, neminem per desertum fuisse circumcisum post relicta stativa montis Sinai, hoc est, post duodecim castra, in quibus et Pascha celebratum fuerat, et lex è cælo data, arca item, tabernaculum, cætera vasa sacra fabricata.

VERS. 6. — QUADRAGINTA ENIM ANNIS AMBULAVERANT PER SOLITUDINEM, etc. Desertum istud, quasi suo nomine, appellant Septuaginta interpretes, *μᾶστιγινὴ*: fortassis vulgus eo seculo quo hi scripsère, hebræum verbum *Midbar*, quod desertum significat, et solitudini, ut proprium ejus nomen, attribuerat, quodam inveniendi usu, nisi imperiti hominis audaciâ adscriptum hoc nomen olim in illâ editione græcâ potuimus. Idem interpretes supra quadraginta annos, addunt duos. Nimirum habuerunt, ut videntur, illi eam opinionem, ut existimarent, eos quadraginta annos, quos Deus in Numeris cap. 14, v. 33, præfinitabat soboli im-

porum parentum agitandos in deserto, ab illo ipso funesto die numerandos fuisse. Jam tum enim duos à relicta Aegypto, et insuper pauculos menses in solitudine egerant. Et profectò, si quis illa Dei minacia et fatidica verba simpliciter intueatur, hæc dico: « Filii vestri erunt pastores in solitudine annis quadraginta, pro numero dierum, quibus speculati estis terram, singulis diebus in annos singulos relatis, hoc est, annis quadraginta ferent penam defectionis vestræ; » si quis, inquam, ista per se, neque curiosè legat, facilis in eam illorum veniat sententiam. Atqui quadraginta non amplius annos computat ipse Moses, ad campos usque Moabiticos; nisi putes eum non à relicta Aegypto, sed à progressu è Sinai supputare tempus. Sed erit de his disputandi locus etiam capite undecimo, ad versiculum 18.

Porro animadvertendum est, scelestos illos, et defectionis reos, non populum, sed gentem hoc loco vocari, verbo odioso scilicet, et quod plerumque profanos homines, atque ab Abrahami sacro illo fœdere alienos significat. Merito sanè, ut qui se per detestabile flagitium ab eo fœdere abalienassent. Nihil enim profuit ipsis esse circumcisos, cum Deo neque fiderent, neque morigerarentur. Nam, ut divus Paulus rectè Galatis cap. 5, v. 6, scripsit: *Neque circumcisio aliquanti est, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur, et nova creatura.* Sequens verborum ambitus, hunc dico: *Quibus juraverat Dominus non ostensurum se ipsis eam terram, et quæ eodem pertinent cætera, ea, inquam, verborum complexio implicat est; habet autem hanc sententiam: « Quos dico periisse per desertum his annis quadraginta, quia non obtemperassent voci Domini, illi ipsi sunt, quibus jurando Dominus affirmaverat, propter ipsorum flagitia, se non daturum ipsis beatissimam et illam terram, lacte melleque affluentem, et quam aliqui olim semini Abrahami, Isaac, et Jacobi juratus promiserat se concessurum; et quorum illi semen quidem et filii fuere; sed et ipsi sibi per sua scelera obtidère, seque abdicavère, et promissis illis indignos fecère; et ac proinde prius per desertum existincti passim sunt, quàm ad illam terram possent pertinere, nedum in possessionem ejus ingredi. »* Latinus hoc loco minime expressit, quod est in hebræo, siquidem integra superest scriptura, et nisi conjecturâ fallor à priore verbo juraverat, errore transiit ad posterius. Cæterum personæ mutatio, quâ dictum est,

daturum se nobis pro, daturum se ipsorum semini, explicandæ antithesos gratiâ videtur facta esse, quæ est inter eorundem patrum eos posteros, qui ab illis per vitia degenerant, et eos qui illorum vestigijs insistent, virtutemque et pietatem imitantur. Quippe gratuita Dei adoptio, quâ Abraham genus facta est gens sancta, ad eos non pertinet, qui se ipsi suapte voluntate abdicaverunt, beneficiumque divinum repudiârunt. Quò minus mirum est, si cum cæteris filiis paternam hereditatem isti non adeant. Atque hæc ratione exagitat Christus Judæos apud Joannem, cum se de sanguine Abrahami jactarent, cæteroque verò ejus facta non imitarentur, sed diaboli cupiditatibus libenter operam darent. Cæterum sacre narrationes, quæ hoc loco attinguntur, altera quidem de exitu rebellium, cum in Numeris, Am in Deuteronomio, altera verò de divinis promissis passim in Genesi scriptæ sunt.

VERS. 7. — VERUM LIBEROS IPSORUM SUBSTITUERAT IN IPSORUM LOCUM, etc. Sunt ergo isti, qui in promissam terram introducuntur, tanquam novus populus, ut ante diximus, qui cum essent plerique præputiati, circumcisio quasi de integro instituta fuit. Illustrat autem hic locus veritatem atque constantiam verbi Dei, cum ea jam esse facta memorat, quæ facturum se promiserat Deus in Numeris, cum diceret cap. 14, v. 28: *Parvulos vestros, quos dixistis prædæ futuros, introducam noscentque terram illam quam vos contempsistis; sed vestra ipsorum corpora cadent in deserto isto.*

Sed enim mysterio non vacat, ut cum à multis alijs, tum à Theodoro est annotatum, quòd circumcisi sub Mose patres, per suam ipsorum diffidentiam perierunt, impingentes in lapidem ad offensionem positum; at ipsorum successores, non à Mose, sed à Josuâ sive Jesu circumcisi, sunt potiti divinis illis promissis. Quis enim non intelligat, adumbratum esse eâ re, quòd gentes olim in Hebræorum successuræ essent locum, duce Jesu, cum illæ promissum Dei Filium, in quo æternæ hereditatis fructus est positus, amplecterentur per fidem, isti verò repudiassent. Sed ista sunt à divo Paulo multis locis luculenter explicata et pertractata.

VERS. 8. — PORRO CUM JAM CIRCUMCISA OMNINO ESSET GENS UNIVERSA, etc. Rursus appellat eos qui circumcidebantur *gentem*, nimirum quia adhuc barbarorum modo præputiati fuere.

Magno autem ex circumcissionis vulnere affici homines dolore, exemplum maxime insigne est clades illa universæ civitatis Salem à duobus solis patrata viris. Quò magis mirum est, ne per hanc quidem tam commodam occasionem moveis Chananeorum regulos arma adversus jam intrò receptos, et undequaque emotos, atque insuper etiam gravissimè saucios hostes. Sed divino perculsæ metu illorum mentes stupebant, atque à nocendi Israelitis consilio, tanquam Dei manu, prohibebantur.

Discamus ergo nullius, vel maximi periculi, nefitum levium rerum metu atque expectatione adduci ad ea omittenda, quæ nobis sunt à Deo imperata. Eaque dum exsequimur, securè recumbamus in hujus tutelâ, illa Davidis nobis ipsi occinentes psal. 118, v. 6: *Domineus à me stat, nihil mecum quid faciat mihi homo, et psal. 27, v. 1: Domineus lux mea, et salus mea, à quo metuum?* et quæ sequuntur in eam sententiam.

Sed enim moveri hoc loco potest difficultis questio, cur non potius in campis Moabiticis, vel Israelitæ celebrandam à se esse hanc circumcissionis ceremoniam ipsi staterint, vel Deus, ut ille celebrarent, jussert, ubi devotus duobus potentissimis regibus, otium et securitatem satis commodam nacti fuerant; præsertim cum religioni et sancto fœderi congruere atque convenire magis videretur, ut in sacra terræ possessionem, nisi ante circumcisi, pedem non ponerent. Equidem Israelitis causam fuisse opinor eandem, quam per solitudinem fuisse satis justam diximus. Semper enim in expeditione atque itinere fuerunt, incertique, quantum essent uspiam habitaturi moram, tantisper dum trajecissent Jordanem. Quòd verò ad Dei consilium attinet, quod nulla humanæ mentis acies conjecturâ satis certâ consequi, nedum explicare unquam potest, præstituerat ille annos quadraginta, quibus ferrent filii penam defectionis parentum in solitudine, ut anni responderent dierum numero, quibus diebus impii speculatores versati per Chananeam fuerant; solitudinem autem vocabat, ut videtur, loca quævis, quæ inter Aegyptum et Chananeam jacebant, quippe in quibus, tanquam in alieno solo vivendum ipsis esset. Tantisper igitur dum expiata nondum esset illa defectionis culpa, circumcisio celebrari non debebat, quæ erat gratiæ divinæ reconciliatio quedam. Ad hoc, consentaneum erat, ut, cum jam de integro esset veluti instituta circumcisio, id in Chananeâ fieret, terrâ om-

nibus sacris ceremoniis dicatâ, in quâ et prima circumcisio fuerat divinitus instituta celebrataque. Præterea sic melius adumbratio eum perfectione congruebat, cum Josua in Chananaea, non Moses in campis Moabiticis, secundam istam circumcisionem faceret. Verus enim Josua, qui fuit Jesus Christus, populum suum, cum imperator et dux factus esset, initiare cepit circumcisione non manu factâ, intra Chananaeam. Quod autem dictum est, non circumcisos religione prohiberi debuisse à terræ sacræ possessione, est id quidem verissimum. Nam ut ante diximus, promissio tam beatæ terræ ex circumcisionis fodere pendebat. Atqui Chananaea possessionem tum demum usurpant Israelitæ, cum, facto Paschate, ejus terræ frugibus vescerentur, ut mox sumus dicturi explicatis. Sed in iis quæ modo diximus, Rubenitas, Gaditas, et Manassensium didimidam tribum excipio. Istos enim instaurasse circumcisionem credibile est, cum primum suas adepti peculiare possessiones, extra solitudinem atque etiam reatum illum esse judicarentur. Nisi hic quis existimare malit, illorum res ex ceterorum rebus planè pependisse, cum Moses eâ conditione possessiones illas ipsis attribuisset, si fratribus suis usque eò adessent, openque ferrent, dum etiam ipsi in suis seditibus quiete fruerebantur, quod alio loco exponemus pluribus.

Unum superest hoc loco non prætereundum, ut videtur, silentio, sed quadamtenus explicandum, quid illis factum sit, qui cum non essent circumcisi, neque defectionis scelere obstricti, e vitâ exterant priusquam in Chananaeam pervenissent, circumcidique potuissent. Sunt enim explicitissima Dei verba, cum ait: *Cujus masculi præputiati caro non fuerit præcisâ, excindetur ejus anima è populo suo.* Nihilne ergo ad horum salutem pertinuit profuitque quoddam Abrahami sanguine nati essent? Sed tanquam alieni à populo selecto, exclusi sunt à gratiâ Dei beneficiâ? Equidem sic existimo, non esse quidem continuo filios Dei, si qui ex Abrahami sanguine orti sunt, sed si promissionis simul sint filii, ut ait Paulus ad Rom. 9, 7. Cæterum ad illos tales, cum vel supra te voluntate, si adulescentes erant, vel parentum, si per ætatem ipsi non sapiebant, in circumcidendi proposito manerent, desideriumque sincero animo, simul cum eâ fide, in quâ totius cardo salutis verte-batur, et cujus ipsa circumcisio erat veluti sigillum, retinerent neque negligentia, nedum contemptu, sed continuæ protectionis necessitate

rem differrent, ad eos, inquam, divini illius decreti rationem, quæ ei continuo subjuncta est, hanc dico: *Quia pactum meum irritum fecit, accomodari non debere: neque enim pactum violasse is reâ dicitur, qui cur minis pactas leges præstitisset, pacis imperio fuerat impeditus.* Quamquam credibile videri potest, talium virorum neminem per desertum obisse mortem; nisi si quis propriâ culpâ exitum sibi peperit; cum Moses memoret, adeo nullis incommodis esse affectos, per eos quadraginta annos, ut ne vestes quidem, aut calcamenta cujusquam obsoleverint; et David canat, valetudine tam firmâ fuisse omnes, cum Ægypto relicta iter ingrederentur, ut in nullâ tribu quisquam omnium tabasceret, psal. 105, 37.

VERS. 9. — DIXITQUE DOMINUS AD JOSUAM: HODIE DEVOLVI OPPROBRIUM, etc. Devolvere opprobrium ab aliquo, est, probro atque dedecore eum liberare, suamque ei dignitatem reddere, ut apud Davidem, cum ait, psal. 119, 22: *Devolve te me opprobrium et contemptum.* Sunt quidam qui ipsum præputium dici opprobrium hoc loco putent, ut quod sic sit appellatum à filiis Jacob, cum responderet capto Dina amore Sichem, Gen. 34, v. 14: Non fas est, ut demus sororem nostram viro, qui habet præputium; est enim illud apud nos opprobrium. Verum ego hoc sic potius interpretandum reor: *Esset enim ea res nobis opprobrio.* Sed ut demus præputium non ineptè opprobrium vocari, quid tandem est, cur Ægyptii opprobrium vocetur, cum nulla gens, præter Hebræos, præputia circumcidere soleat? Neque enim R. Levi F. Gersonis, qui alioqui non malè existimat, libidinem refrenandam significari circumcisione, conjecturam affert satis bonam intemperantiae singularis Ægyptiorum. Quia Deus in Numeris leges communiorum institutus præfatur: *Non esse Israelitis sic agendum, ut Ægyptus soleret agere.* Aliud est enim intemperantem esse, aliud sanguinis atque avaritatis rationem in connubiis non habere, id quod illic Chananaeis similiter atque Ægyptiis à Deo in crimine ponitur, nimirum quia Israelitæ, quibus leges ille dabat, nuper Ægyptum reliquerant, atque ad Chananaeos ibant. Sed profert Levi alteram quoque sententiam: *Fieri potest, inquit, ut Ægyptii concivici consecrati fuerint Israelitas, quasi eductos à Deo ut malè perderentur, non ut possessione Chananaea locupletarentur; quibus concivici cum jam in dies magisque*

urgenter, post tot frustra consumptos per desertum annos, planè nunc eos liberabat Deus, cum certum faceret ipsis, per impetratam circumcisionem, brevi omnino futurum, ut in possessionem Chananaea mittentur, quam præputiatis usurpare nefas erat. Quin, ut est copiosus scilicet, addit et tertiam sententiam, quam ex commentariis vetustis, Exodo Rabba, ut vocant, eum compilasse video. Ea est, probrum Ægypti, esse improbam Ægyptiorum religionem; à quâ jam Deus populi sui animos prorsus averit, cum ad faciendum Pascha eos admittit, per circumcisionem. Hoc enim festum adversus Ægypti superstitiones potissimum inde ab initio esse institutum, idque hæc ratione: Colebant, inquit, Ægyptii imprimis, arietem, eumque Deum igne armatum credebant, quo se à contemptu vindicaret. Itaque Deus, ut palam faceret, quam esset illa vana religionis lubrica, jussit suis, selectissimos arietes paschim mactare, eosque suis ipsorum armis, hoc est, igne, percoquere, atque deinde etiam devorare solidos. Insuper postes quoque sanguine oblinere. Id autem cum fecissent illi non solum impunè, verum etiam et cum suo commodo, et cum cultorum talium deorum maximo malo, nullus potuit nisi prorsus insanus, putare Ægyptiorum diis cæteris aliquid inesse numinis, aut facultatis. Huic commento non admodum dissimile est, quod Nehmannus scriptum reliquit, ideò jussos esse Israelitas arietem mactare, et devorare hoc primo mense medio, quo Ægyptum relinquere, ut intelligerent, se Dei providentiâ, non astrorum efficientiâ esse liberatos, cum id sidus summâ affectis sent ignominia, quod eo tempore in celo obtinebat principium.

Hæc, vana quidem, at non prorsus insecta commenta, eò libentius adscripsi, quòd ad proximum versiculum erit explicanda Paschatis instituti ratio. Sanè Ægyptios coluisse oves pro diis, ostendit Moses, cum diceret ad Pharaonem Exod. 8, 26: *Non possumus in Ægypto sacrificare, nam abominationem (hoc est, deos) Ægyptiorum debemus sacrificare Domino Deo nostro, etc.* Et pervagatum est illud Juvenalis de potentis, quæ demens Ægyptus colere solebat:

Laanalis animalibus abstinet omnis Mensa; nefas illic festum jugulare capelle, etc.

Sed insulsißima est fabula quæ veteribus Hebræis attribuitur in eo commentario qui vocatur *Leviticus Rabba*, à R. Salomone autem

Mosi concionatori, quem Hadarsan vocant. Putat enim ille hunc ejus commentariis esse scriptorem; exponam tamen, ut potero, paucissimis, quia Lirano placuisse videtur: Colebant, inquit, Pharo, cum esset astronomus, abituris Israelitis cruentum factum et eladem, ex affectione sideris cujusdam, cui, 777, hoc est, *Malo*, nomen fuit. Eaque de causâ Moses, cum peccasset populus cultu vituli, his interpellabat Deum verbis: *Cur dicent Ægyptii 7777, hoc est, in malo, duxit ipsos, ut occideret in montibus?* etc. d. Cur concionator Ægyptii in nos prædicat? Pharo enim, ut ipso eventu commentationem? Deus ergo, miserus suorum, illud impendens ex mali astri affectione factum cruentum in salutarem circumcisionis crurorem vertit; eoque consumpsit atque exhaust; hoc igitur est, inquit illi, quod ait, se devolvisse ab ipsis Ægyptiorum opprobrium. Quasi verò ceteroqui non plurimum sanguinis Hebræi per solitudinem fusum esset, ac non meritò posset astrologus ille insultare ipsis, ut adverso celo profugis, si cæstris, ac non potius ipsorum sceleratæ voluntati, culpam assignare fas esset. Sed concionator Pharaoni astrologiam. Vidit ille quidem eladem maximam, sed suo et populorum suorum capiti imminere eam, id verò videre non potuit.

Sed omissis aliorum sententiis, hæc mihi, ut simplicissima est, ita verissima esse videtur; idcirco evolutos infamia et opprobrio Ægypti Israelitas dici, quia adhuc Ægyptii magis quam Hebræi potuere videri, cum per annos plus quam ducentos in Ægypto morati, eorumque hominum moribus prorsus assueti, toto procul dubio, vitæ cultu, Ægyptios referent, et needum circumcisi nullâ ferè re ab illis secerant possent. Jam verò per circumcisionem, quod Hebræorum insigne erat, quasi ex Ægyptiis, gente profana et probrosa, Hebræi de integro facti videntur. Spectant autem hæc ista Dei verba, ut meminerit populus Ægypti desiderium posthac penitus ex animo delere, ac vitiosus flagitiosisque illius populi moribus relicti, vitam suam ad præscriptam sibi à Mose normam dirigere et instituire. Sunt inter Hebræos, atque etiam nostros, qui putant, ablatum Ægypti opprobrium ab Israelitis per circumcisionem esse, quia illi hæc notâ vindictæ à Deo in libertatem pristinam, nullo posthæc jure poterunt ab Ægyptiis in servitutem asseri. Atqui ne ante quidem ullam unquam

jure servitutem debuerant Aegyptis. Melius sanè Theodoretus servitutem rationem, si omnino opprobrium illud ad servitutem pertinet, explicasse videtur, cum diceret, hodie Israelitas liberatos esse opprobrio Aegypti, quia missi per circumcisonem in Chananae possessionem, jam promissæ terræ domini sunt, qui nuper scelerè Aegyptiorum servi. Neque enim Abraham, Isaac, Israelis denique legitimi filii, ac proinde promissæ dittonis hæredes censerri poterunt, nisi cum essent circumcisi.

Sequitur in ordine sacrorum verborum : Et vocatum est nomen loci illius *Galgala*. Verbum *Galat* devolvere et amovere significat : inde formatum est hoc loci nomen, *Galgala*. Solet enim in verbis, quorum posteriora duo elementa gemina sunt, sæpe primum repetitum interponi inter illa, et alioqui propria hominum locorumque nomina crebrè non planè referunt eam unde derivata sunt positionem. Exempli sunt 21 a verbo, 21, ubi una littera est abjecta. אֲשַׁחֲזָא, אֲשַׁח, ubi una est ascita. Sed non est opus pluribus. Sunt enim ubique obvia. Nescio quid Josepho in mentem venerit, id *Galgala* libertatem significare diceret. Sed sunt ejusmodi apud eum virum, ceteroqui magnam et doctissimum, sexcenta, ex quibus intelligas, quanta fuerit illo seculo hebraicæ lingue inscitia atque ignorantia. Pro אֲשַׁח, hoc est, et vocavit, nomen dedit, dixi, vocatum est. Nam sic sæpè hoc verbum, absque personæ cui hæreat, positum est in sacris litteris. Quid porrò illud sibi velit, usque ad hanc diem, expositimus alibi satis multis.

VERS. 10. — ICHER DUM CASTRA HABERENT ISRAELITE IN GALGALIS, etc. Diximus nuper, circumcisonis cæremóniam distulisse Israelitas per desertum, cum assiduo aut esset proficiscendum, aut proficiscendi necessitas expectaretur. Et hoc consequens erat, ut anniversariam Paschæ cæremóniam differrent quoque. Neque enim hanc fas fuit agere, nisi circumcisos, ut semel iterumque ostendimus. Nam qui putant hanc legem in Exodo scriptam, ad alienigenas modò pertinere, eaque solutos fuisse Israelitas, audent iidem, cum Pelagianis, sacrum baptismum ei non esse necessarium dicere, qui ex christiano sanguine sit ortus; cum ipso sit ortu sanctus, vel Paulo teste, qui ait 1 Cor. 7, v. 14 : Alioqui filii vestri impuri essent, cum mmc sint sancti. Atqui idem Paulus eodem propè h'atu dicit, virum, ceteroqui non initiatum, fieri sanctum per uxorem, et uxorem per virum; num, obscuro, sic ut eis baptismus non sit opus? O iucunda, inepta, absurda atque aliena à Pauli sententiâ commenta! Sed religio est istis scilicet, Israelitas tantæ socioordiæ atque negligentia, ne dicam impietatis, damnare, quasi sanctissimam, et, nuper adeo, tantum non in omnium mentes incisam à Deo ipso legem, de Paschate quotannis observando, tam citò violare ausos. Atqui si Paschatis omissio in crimine aliquo ponenda illis fuisset, cur non in multò majore, circumcisonis, cum hæc cæremónia ad sacrosanctam adoptionem et fœdus, illa ad mementam duntaxat liberationis duræ servitutis pertineret? Sed id est cur tantoperè per desertum feecisse illos pascha contendat, quando de faciendo constituta atque inculcata lex, ad solam terram promissam spectare videtur. Est enim ea omnium Hebræorum sententiâ, ipsis etiam sacris verbis testata, ut apparet, quibus, illam suam legem Deus tanquam præcisiōnem quædam, concludit iniquens Exod. 12, v. 25 : Cum perveneritis in terram, quam dabo Domini vobis, sicut prædixit, observabitis cultum istum. Nam quod etiam ad montem Sinam fecerunt, id singulariter jussi à Deo fecerunt, non lege, sed privilegio, ut honorem facerent Dei sacrario, quod tum recens compositum describatur. Neque enim profectò novo jussu illiusmodi opus fuisset, si lege etiam illic fuisset astricti. Non enim mandat Deus simpliciter, ut Pascha faciant modò, sed accuratè, quasi de integro omnes illos præscribit ritus observandos, qui alioqui satis priore lege fuerant sancti. At verò certum est, aiunt, Israelitas per desertum cæteris sacrificiis, que lex præscriperat, usos esse; non ergo, quamvis præputiati, ut immundi prohibebantur ab atrio Dei; quare neque à Paschate faciendò. Equidem certò, non prorpsis pro immundis fuisse habendos existimo, qui assidue profectiōnis necessitudine, non voluntate aut socioordiâ differebant, non vilem habebant circumcisiōnem. Sed tamen nondum fuisse tam mundos puto, ut adversus Dei sanctionem, præputiati cum essent, de agno Paschali gustare possent. Et verò quod usque adeo certum esse illi affirmant, nescio quibus freti Scripturis, nullas enim laudant, id negare prorpsis videtur divinus vates Amos, cum ait cap. 5, v. 25 : Numquid sacrificia, et oblationem obtulistis mihi in deserto per annos quadraginta, o domus Israel? Nam illi de stativis ad montem Sinam non loquuntur, cum in illis Pascha esse factum aperta

res sit, sed non à præputiatis, ut ante diximus.

Igitur, ut ad propositum redeat oratio, sicut paulò ante circumcidendi ritum, ita nunc Paschatis cæremóniam instaurantam esse memorant sacra verba, ut intelligamus sanctè et religiosè auspiciatos esse Israelitas possessionem terræ promissæ, quò majore studio atque observantiâ nobis similiter esse faciendum statuamus, cum nosmet comparamus, in mundi hujus stativis ad proficiscendum in possessionem illius cœlestis nostræ hæreditatis. Cæterum locus et tempus nominatim expressa sunt, ut constet, eos nusquam extulisse pedem è vestris, usque eò dum sacris istis fuissent operati. Tempus autem alioqui illud planè observatum est, quod à Mose, atque adeo ab ipso Deo passim fuerat lege præstitutum. Sed de Paschatis nobis similiter esse faciendum statuamus, cum nosmet comparamus, in mundi hujus stativis ad proficiscendum in possessionem illius cœlestis nostræ hæreditatis. Cæterum locus et tempus nominatim expressa sunt, ut constet, eos nusquam extulisse pedem è vestris, usque eò dum sacris istis fuissent operati. Tempus autem alioqui illud planè observatum est, quod à Mose, atque adeo ab ipso Deo passim fuerat lege præstitutum. Sed de Paschatis nobis similiter esse faciendum statuamus, cum nosmet comparamus, in mundi hujus stativis ad proficiscendum in possessionem illius cœlestis nostræ hæreditatis. Cæterum locus et tempus nominatim expressa sunt, ut constet, eos nusquam extulisse pedem è vestris, usque eò dum sacris istis fuissent operati.

ut religiosè pietate gratum se præberet, voluit Spiritus sanctus.

Porrò in hoc Paschatis sacrificiò tantum inesse mysterium, ut eo primùm Deus suam divinitatem quadrantem cum hominibus communicaverit, Hebræorum etiam nonnulli rectè existimaverunt. Nam quidam R. Judas scriptum reliquit in eo libro quem de *Disciplina* inscripsit, per Paschæ sacrificium tam arcètè Deum consciasse sibi homines, ut in eo, per ipsius divinum nomen, similiter atque lucernæ ellychnium in lumine, inhæreant; idque occultè illis etiam significatum esse verbis, que in Levitico cap. 11, v. 48, extant : *Ego sum Jehova, qui eduxi vos de terrà Aegypti, ut essem vobis in Deum*, esse enim hoc ac si dicat : Ut meum vobis impertiret divinitatem. Et istam esse rationem cur tam magnificè toties factet sacra historia liberationem Aegyptiacam. Atque his consentanea etiam videtur esse illa que Philo scripsit in eo libro, quem de *Caini et Abelis sacrificiis* composuit, cum his uteretur verbis : *אַבְרָהָם רִכַּץ יְיָ בְּיַד בְּרִיתוֹ וְכַי אֲבֹרָהּ וְכַי אֲבֹרָהּ וְכַי אֲבֹרָהּ*, hoc est : *Pascha transitio dicta est, quod per se ortu atque interitu fluxum in Deum exadit*. Sed hæc quæ fiant ratione, à Christo ipso, ejusque discipulis in sacris Evangelicis, et imprimis luculenter apud Joannem, explicata sunt.

Sequitur in ordine textus : *Die decimo quarto mensis, in vesperâ*. Est quidem hoc tempus sacra lege definitum, ut primo Paschati, quia sic se res ipsa tum dabat, ita et reliquis deinceps omnibus celebrandis quotannis. Verùm Christiani, propter Dominicæ diei, quo Christus noster resurrexit, et simul dierum lunæ observationem, ut divus Augustinus exposuit, non eodem perpetuò vententis anni die, nostrum Pascha agere possunt. Nam *ἑκατομταδωκταρτηρά*, quos *quartadecimanos* vocare licet, olim damnati profligatique sunt, quamvis divi Joannis præceptiōnis suis nugis conarentur opponere. Sed quanta et qualis fuerit olim inter Ecclesie principes de Paschatis die contentio, atque controversia, qui cognoscere volet, is legat Eusebii lib. 5 Hist. Eccles., et lib. 5 de Vitâ Constantiniana, atque, si placet, Lucidum Samosatheum, Paulum Mittelburgensem, aliosque similibus argumenti scriptores.

Porrò illud, in vesperâ, hebraicè est, עֶרֶב, quod tamen in Exodo atque Levitico חַד הָערֶב שֶׁנֶּחַמַד scriptum est, ac si dicas, *inter duas vesperas*. Sed idem tempus utroque notari certum est ex iis, que Exodi 16 et Deuteronomii 16 scripta